

*Litteræ Gregorii IX. mandantis servari sententiam
Episcopi Aquensis in eadem lite jam editam.*

174

M C C X X V I I.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Archipresbitero Teobaldo, Vilelmo de Montemerlo canonicis Terdonensibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Dilecti filii capitulum Aquensis Ecclesiæ sua nobis petitione monstrarunt, quod cum inter ipsos ex parte una, & monasterium S. Petri Aquensis ex altera coram Ven. fratri nostro Aquensi Episcopo super jure parochiali non ex delegatione Apostolica quæstio verteretur, idem cognitis causæ meritis definitivam pro ipso capitulo sententiam promulgavit, a qua licet pars monasterii ad Ven. fratrem nostrum Mediolanensem Archiepiscopum appellaverit suam tamen appellationem, cum triennium postmodum sit elapsum, prosequi non curavit. Ideoque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si res ita se habeat, sententiam ipsam appellatione hujusmodi non obstante faciatis per censuram Ecclesiasticam appellatione remota firmiter observari, quod si non omnibus his exequendis potueritis interesse duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagninæ id. julii Pontificatus nostri anno primo.

*Tabulæ pacis inter commune Alexandria ejusque
fæderatas civitates, & commune Januæ,
& Astarum.*

175

M C C X X V I I.

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVII., die Martis IX. mensis novembris, indictione XV. in palatio veteri communis Mediolani, convocato consilio Mediolanensi ad sonum campanæ more solito. D. Rambertus de Chisleriis civis Bononiæ, potestas Alexandria voluntate, & parabola totius consilii ipsius civitatis, nec non ipsum consilium, & consilarii ipsius civitatis ibi existentes nomine, & vice communis Alexandria ad postulationem, & petitionem D. D. Alberti de Ruzolo, & Rogerii de Bonifacio de Placentia Ambaxiatorum societatis de Lombardia, & eorum communis fecissent commissionem, & remesimentum, & laxamentum, arbitrium, & arbitramentum similiter, & cum potestas, & commune Januæ, & potestas, & commune Astæ fecissent commissionem, & remesimentum . . . arbitrium . . . similiter, & eodem modo in Dominos Bocasium Bremam, & Guifredum de Pirovano recipientes nomine, & vice D. Lanfranchi de Ponte Carali potestatis Mediolanensis nomine ipsius communis Mediolani sine aliquo intendimento, & tenore, & remoto aliquo intendimento, & tenore dato de omni guerra, & discordiis, litibus, & controversiis, & de omnibus petitionibus, & de omnibus damnis, & injuriis, & de omni rancore, captionibus, & captivis, & specialiter de omnibus discordiis, & litibus . . . quas commune Alexandria, & commune Derthonæ, & commune Albæ, & eorum coadjutores, & seguaces, & districtabiles habent, vel movere possent versus commune Januæ, & commune Astensem, & eorum coadjutores,

& seguaces, & districtabiles quoquo modo, & de eo quod commune Januæ, & commune Astense, & eorum coadjutores, & seguaces, & districtabiles habent, vel movere possent versus commune Alexandria, & Derthonæ, & Albæ . . . quoquo modo de jurisdictionibus, honoribus, & confinibus, stratis, terris, castris, burgis, villis, atque locis, & generaliter de omni eo quod unum commune, & ejus coadjutores . . . habent vel movere possent versus alterum commune . . . & prædicta communia, & consilarii omnes prædictarum omnium civitatum, videlicet Alexandria, Derthonæ, Albæ, atque Januæ, & Astæ sub pœna decem millium marcarum argenti cum stipulatione solemniter compromissa ab istis civitatibus, & communibus pro unaquaque civitate eisdem D. D. Bocasio, & Guifredo nomine, & vice communis Mediolani recipientibus promississent, & sanctis tactis Evangeliiis juravissent, quod omne præceptum quod, & quæ commune Mediolani, vel ille, seu illi, qui pro ipso communi fuerint ad hoc constituti . . . attenderent, & inviolabiliter observarent, & quod commune Alexandria, Derthonæ, Albæ attendere, & observare facerent omnia, & singula supradicta, sicut continetur in carta compromissi facta per Ferrabovem filium quondam Johannis Bello Ferrarii de S. Georgio S. Palatii Notarium isto anno.

Ideoque nos Ajulphus de Cocalio, & Petrus de Fontana, & Crescimbene de Prato Albiano Judices & Assessores D. Lanfranchi de Ponte Caralo potestatis Mediolani, & nunc ejusdem potestatis vicarii absentis causa Reipublicæ pro discordia Pergamenfi voluntate, & licentia totius consilii Mediolanensis, in prædicto palatio Mediolani ad campanæ sonos more solito congregati, & nos consilarii universi ad honorem Dei, & B. V. Mariæ ad bonum, & concordiam communis, & totius universitatis Januæ, Alexandria, Derthonæ, & Astæ, & Albæ, & Taurini, & omnium singulorum fautorum . . .

I. Pronunciamus, judicamus . . . in primis quod commune Januæ non debeat auferre . . . pedagium aliquod alicui homini de Alexandria, qui modo habitat in Alexandria, vel de cetero habitabit, ad castrum de Gavio, vel in ejus finitimis, vel territorio, nec in aliquo loco, seu parte, nec Januæ occasione pedagii de Gavio.

II. Item quod si aliquis civis Alexandrinus dixerit, aut fecerit merces alterius hominis suas esse ad hoc, ut pedagium non solvatur communi Januæ, merces illæ ipso jure perveniant in commune Januæ.

III. Item quod potestas, aut consules Alexandria, si potestas non fuerit, & consilium congregatum more solito . . . debeant jurare, tenere Gavium, Montaldum, Amelium, Taxarolum, Pastoranam, & stratam per locum de Gavio; & prædicta Sacramenta renouentur de quinquennio in quinquennium, si commune Januæ per suum missum illud petierit.

IV. Item quod commune Januæ non debeat auferre, neque exigere, seu tollere aliquod pedagium Alexandrinis, sive Casariensibus ad portam Januæ, quod præstare soliti erant pro communi Januæ.

V. Item quod commune Januæ non permittat Vicecomitibus, & eorum descenditibus, nec alicui,